intererat loci stellas quo oriebatur cum primum uas esse impletum. Intellegentes quod eo tempore quo totius aquae duodecima pars fluxit. pars caeli duodecima conscendit; Ab illo ergo loco quo oriri incipiente aqua in primum uas cepit influere. usque ad locum quo oriebatur cum idem primum uas impleretur. duodecimam partem caeli id est unum signum esse dixerunt; Item secundo uase impleto ac mox retracto. illud simile quod olim effusum paraverant iterum subdiderunt notato similiter loco qui emergebat. cum secundum uas esset impletum; Et a fine primi signi usque ad locum qui ad secundae aquae finem oriebatur. secundum signum notatum est; Atque ita uicissim uasa mutando. et per singulas influentis aquae partes. singulos sibi ascendentium caeli partium limites adnotando. ubi consumata iam omni per duodecim partes aqua ad primi signi exordia peruentum est. sine dubio iam diuisas certisque sibi obseruationibus et indiciis adnotatas duodecim caeli partes tantae compotes machinationis habuerunt; Quod non nocte una sed duabus effectum est. quia omne caelum una nocte non uoluitur. sed per diem uertitur pars eius media. et medietas reliqua pernoctem; Nec tamen caelum omne duarum sibi proximarum nocturna diuisit inspectio. sed diuersorum temporum nocturna dimensio utrumque hemisphaerium paribus aquae (aquae) uicibus adnotauit; Et has ipsas xii. partes signa appellari maluerunt. certaque singulis uocabula gratia significationis adiecta sunt; Et quia signa nomine graeco zodia nuncupantur. circum ipsum zodiacum signorum. quasi signiferum uocauerunt; Hanc autem rationem idem illi cur arietem cum in sphaera nihil primum. nihilque postremum sit. primum tamen dici maluerint expediderunt;

Aiunt enim incipiente die illo qui primus omnium luxit. id est quo in hunc fulgorem caelum et elementa purgata sunt. qui ideo mundi natalis iure uocitatur. arietem in medio caelo fuisse; Et quia medium caelum quasi mundi uertex est. arietem propterea primum inter omnes habitum. qui ut mundi caput in exordio lucis apparuit; Subnectunt etiam causam cur haec ipsa xii. signa adsignata sint diuersorum numinum potestati; Aiunt enim in hac ipsa genitura mundi ariete ut diximus medium caelum tenente. horam fuisse mundi nascentis in cancro gestante tunc lunam;

Post hunc. sol cum leone oriebatur; Cum mercurio uirgo; Libra cum uenere; Mars erat in scorpio; Sagittarium iuppiter optinebat; In capricorno saturnus meabat; Sic factum est ut singuli eorum signorum domini esse dicantur. in quibus cum mundus nasceretur fuisse creduntur; Sed duobus quidem luminibus singula tantum signa in quibus tunc fuerant adsignauit antiquitas; Cancrum lunae. soli leonem; Quinque uero stellis praeter illa signa quibus tunc inhaerebant. v. reliqua sic adiecit uetustas. ut in adsignandis a fine prioris ordinis ordo secundus inciperet; Superius enim diximus in capricorno post omnes saturnum fuisse; Ergo secunda adiectio eum primum fecit. qui ultimus fuerat; Ideo aquarius qui capricornum sequitur. saturno datur. Ioui qui ante saturnum erat. pisces dicantur. (t dantur)

Aries marti qui praecesserat iouem; Taurus ueneri quam mars sequebatur; Gemini mercurio. post quem uenus fuerat deputati sunt; Notandum hoc loco quod in genitura mundi uel ipsa rerum prouidentia uel uetustatis ingenium. hunc stellis ordinem dedit. quem plato adsignauit spheris earum. ut esset luna prima. sol secundus. (hunc) super mercurius. uenus quarta hinc mars. inde iuppiter. et saturnus ultimus; Sed sine huius tamen rationis patrocinio. abunde platonicum ordinem superior ratio commendat; Ex his quae de uerbis ciceronis proxime platis propositum quaerenda quam licuit breuitate a summa sphera quae aplanes dicitur. usque ad lunam quae ultima diuinorum est. omnia iam ut opinor absoluimus; Nam et caelum uolui. et cur ita uoluatur ostendimus; Uii. quoque spheras contrario motu ferri. ratio indubitata patefecit; Et de ipso spherarum ordine quid diuersi senserint. uel quid inter eos dissensionem fecerit. quae ue magis sit sequenda sententia tractatus inuenit; Nec hoc tacitum est cur inter omnes stellas sola sine fratris radiis luna non luceat; Sed et quae spaciorum ratio solem ab his quos ego qui cum inter septem quartum locatur. non tamen abrupte medium. sed fere medium dici coegerit. publicatum est; Quid significent nomina quibus ita uocatur. ut laudari tantum putetur innotuit; Magnitudo quoque eius. sed et caelestis per quem discurrit circuli. terrae quoque parum quanta sit uel quemadmodum deprehensa monstratum est; Subiectarum sperarum stellae quemadmodum zodiaco qui supra omnes est fieri dicantur. uel quae ratio diuersarum faciat seu celerem seu tardum recursum. sed et ipse zodiacus in xii. partes qua ratione diuisus sit. cur que aries primus habeatur. et qua signa in quorum numinum dicione sint. absolutum est; Sed omnia haec quae